EK.2 3.3.348 2 6

JUSTI LIPSII QUATUOR EPISTOLÆ

In omnibus ferè editionibus omiſſæ, ob exemplaris, in quo comparent, raritatem, & ſales in Weſtphalica hoſpitia urbaniſſimos, nunc denuo recuſæ.

Additâ ejus ad Monavium epiſtolâ apologeticâ.

Accedunt ob argumenti adfinitatem

NICOLAI CLENARDI

Super hoſpitiis & moribus Hiſpanorum Epiſtolæ, Excerptum ex LEODIO &c.

ROTERODAMI,

Typis ISAACI VAN RUYNEN
M. DCC. V.

I. LIPSIUS
JANO DOUSÆ V. N.

OLdenburgi, mi Douſa, ſum. Ubi, malùm iſtud? inquies. Opidulum eſt in Weſtphalia, tertio lapide à Brema. Illic me tenent Equites noſtri, qui loca hæc omnia perſultant. Certe animi pendeo. Properem? cum periculo eſt, nec audet id quiſquam mercatorum. Hæream? tempus mihi labitur itineri oportunum. Quod ſi diutius in his locis illæ turmæ, delibero Embdam redeam, an mari Hamburgum pergam, atque iſtinc Francofurtum. O omnia moleſta in hoc tempore! ſed dii porro juvent, adhuc fero & reſiſto. Apud vos quo loco res ſint, ſcire velim. Nam hîc quî inquiram? in Schytarum eremiâ mihi videor, nec inter homines ſatis certò. Omnes hîc Suillii, Scrofæ, Porcii, &, uno verbo tui Hermanni. O Batavia! ô amiculi! vos mihi in mente & ad vos aſpiro. Fontes tamen meos prægustaſſe vellem, quod ſubvereri incipio ut fiat hac hyeme. Videbo, & ſub manu conſilium aliquod capiam, quod te non celabo. Vale, mi Douſa, & lectiſſimæ uxori tuæ ſalutem & oſculum (ita jubeo) ferto. III. Non. Octob. cIↃ. IↃ. LXXXVI.

I. LIPSIUS

JANO HAUTENO S. D.

EMbdæ cum dies aliquot quieviſſem, partim recreandi mei cauſa, partim quià deerant currus, iter arripui Bremam verſus, ſed pede parum fauſto. Oldenburgum ecce veni (diſtat tertio milliari ab eâ urbe) & undique cingunt nos equites peditesque, qui in Belgium parantur. Manendum in nidulo illo fuit, aut incidendum in Harpaces illos, quibus nihil eſt ſancti. Et mehercules de totâ viâ meâ hæreo. Ità multa à multis pericula audio, ità multa ipſe video. Omitto moleſtias, & tædia hoſpitiorum præſertim, quæ hic plusquam Germanica. Crede mihi, amice, barbaria nulla barbaria eſt præ hac Weſtphalia. Cetera Germaniæ fere vidi. Quid dicam? deliciæ illæ locorum & hominum ſunt, ſi cum iſtis comparentur. Et tamen avide anhelo ad illos fontes. Sed hiems nunc occupat; &, ſi diutius morantur hîc equites (pecuniam autem expectant, nec, niſi eâ plenè numeratâ pedem moturi dicuntur) fractum meum iter. Quod ſi fiet, iterum Embdam conſtitui, & illic hiemare. nec enim plane diſplicet is locus, & inter ignotos, libellis meis & chartis me involvam, ſine metu interpellationum. Sed vos in-

interea quid? quo loco res publica, res privata? ſcribe ad me quæſo, & litteras Embdam deſtina: quia in omnem caſum illinc ad me vel in mediam Germaniam facile perferentur. Ita mandavi, & uxor te docebit. Vale, mi amiciſſime, cum uxore tua & familia omni, quam ſaluto. Oldenburgi, III. Non Octob. cIↄ.Iↄ. LXXXVI.

JOHANNI HEURNIO
S. D.

EGo, mi Heurni, quod vos medici miremini, vivo. Paſſus enim ea in hoc Weſtphalo itinere ſum, quæ nemo olim Cynicus aut patientiam profeſſus. Omnia humana mala me exagitarunt, ab aere, ab aquis, à cibis. Venti & pluviæ perpetuæ: cibi non dicam barbari, ſed vix humani. Valetudinem meam noſti, & quàm ea præcipue mihi firmanda delectu dapum. Ecce autem in hoſpitiis (ſic appellabo: etſi revera ſtabula illa aut haræ potius) primo intuitu poculum aliquod obtruſum cerviſiæ olentis aut tenuis, & ſæpe à recenti coctione calentis: nec recuſare fas, niſi elegiſſes expelli. Hic guſtulus erat, & ad ignem cum aurigis aliquot aut ſcrophipaſcis eadem illa potio ſæpius iteranda, cum ſolenni elegantia ad ſingulos potus porrectæ manus. Inte-

rea menſa ſternebatur, (nec dicam de mappa noſti) & jam calor meus inhiabat in cibum; ſed, heu, primum ferculum è larido ſpiſſo, pingui, & addo, crudo. O rem mei ſtomachi! quid facerem? poſcere alıud nefas. Specto igitur & taceo, & buccellas aliquod panis frango. atque utinam panis! ſed revera, mi Heurni, ſi colorem, ſi pondus, ſi totam faciem vidiſſes: juro tibi peieraſſes de pane. Ater ille, gravis, acidus & formatus in maſſam quaternos aut quinos pæne pedes longam, quam ego nec elevaſſem. Plinius mihi ibi in mente, qui de hac aut finitima gente ſcribit, *Miſeram eam quæ terram ſuam ureret*, ego verius, *Miſeram quæ terram ederet*. Sed vide alios miſſus. Diu expectato, ecce tibi caput jam cænæ patina grandis, plena braſſicæ confectæ. Ea juru-lenta eſt (virulentam mihi calamus ſcribebat) adipe porcino ad digitum eminente ac ſuperſtante. Hanc Ambroſiam non commedunt mei Weſtphali, ſed vorant. ego quid? nauſeo & fameo. atque ad extremum paſſulas aliquot è ſacciperio meo haurio, quas cum pane lente guſto. Invidiam ea res habuit & ſermonem: ſed ego cum hoſpite convivas iratos habere malui, quam Hygejam. denique & famulus meus inſuſurrabat iis de morbo. Extremum ferculum caſeus fuit:

fuit: ſed ita putridus, ut diffluerET. hoc ipſum tamen illi habent, ut cerebrum Jovis. In pagis iſta: in Opidis haud multo meliora, niſi quod illic tamen piſces nobis plerumque appoſiti, ex his qui Norwegia adferuntur ſale indurati & vento. at panis è ſiligine eadem. Hos tamen cibos edere jam didici; imo concoquere: & , ſi ad vos unquam redeo, virum videbitis ſive paſſerem marinum potius, qui vorare didicerim ferrum. Hæc in menſa. vis etiam lectum? plane electum. Lecticæ pleræque in ordinem ad utrumque latus. juxta eas vaccæ, equi, vituli: ſupra pulli & gallinæ: ſubter (teſtor Fidem) porci. De pulvino aut linteis, oro te, noli quærere. mendicorum noſtrorum tegetes longe meliores aut puriores, aut centones. Itaque per dies totos octo veſtem non poſui. Jam illud corollarium pulchrum: quod duas noctes dormivi in aperta navi ſive cymba, in Honta flumine, ſub puro Jove: idque cælo pluvio & ventoſo. Poſt hæc tamen omnia, vivo. Jocoſa habes; quid aliud mihi libeat Natali die? Nam de morbo abſit ut te conſulam. malè perierit ille in malâ viâ. Tu ſalve. & voveo idem Holmanno, Beimæ, Bontio, collegis meis. Embdæ XVIII. Cal. Novemb. CIↃ. IↃ. LXXXVI.

Carmen pro Methodo tua habes, ſed quod non dubie olebit hanc gentem.

I. LIPSIUS

PETRO GOLVIO S. D.

Appello te, mi Colvi, ultrò. Libet & vacat: illud ob amorem, hoc ob otium, quo præter votum nunc fruor. Nam hîc (in quo nidulo!) teneor Oldenburgi, inter homines ſemi-homines, idque vi ſive metu noſtrorum equitum, qui circumfuſi. Noſti genus, & quàm nec Muſis nec Mercurio parcant; utique ſi iis Bulga. Ita iter noſtrum protollitur, & bene ſi non tollitur ſuperventu nigræ hiemis, quæ & ipſa adequitat. Videbo & quod Deus ille dabit, feram. Salve mi Colvi. Ubi dixi, Nonis Octobr. CIↃ. IↃ. LXXXVI.

LIPSII EPISTOLA APOLOGETICA.

JACOBO MONAVIO I. LIPSIUS S. D.

INcolumen te rediiſſe ex Pannonica peregrinatione (Ortelius indicium fecit) ex animo, mi Monavi, gratulamur & Deum rogamus, ut in patria quoque talem te ſervet. Nos adhuc in peregrino ſolo apud Eburones: urbe, in qua olim & nunc, in nos proni & benigni. Tamen deliberamus ſub

æſta-

æſtatem de ſede alia, & magis certa: ſi quid tamen certi in hoc motu rerum. Nam quocunque me verti, in hoc ambitu aut palam bella, aut eorum metus. At nos quietem ut ſcis quærebamus: ubi inveniendam niſi in ſuperis illis locis & æternum quietis? Tamen de pace nunc aliqua mentio. Sed mentio magis quam affirmatio: & qui ſtatum rerum pervident, parum etiam ſperant. Sed cum Poëta,

Ἀλλὰ τάγε Ζεὺς οἶδεν ὀλύμπιος αἰθέρι ναίων.

Verum Jupiter hæc ſcit Olympius æthræ habitator.

Ei nos hæc, & noſmetipſos permittimus; certi, quod non magnam illam ſolum orbis navem, ſed hanc quoque cymbulam diriget Providentiæ ſuæ clavo. Sed quod ad quietem, faſcinari eam nuper Saturnius quidem oculus voluit, calumniis in me jactis, quas vidiſti. Voluit non fecit. Nam nos hæc talia ad animum non admittimus, ut vix ad oculos: & ſciunt amici, quàm multis denique menſibus pòſt inſpectus mihi hic libellus. Curioſi & avidi quid ſimus talium? quæ certum nobis eſt contemnere magis, quàm vindicare. Atque adeò, bona fide, nec nunc vidiſſem: niſi iidem monuiſſent, ineſſe quædam, quæ non ad famam doctrinæ noſtræ ſolùm pertinerent, ſed & probitatis. In-

 ſpexi.

ſpexi igitur, & quid dicam? Scriptum univerſum eſt compoſitum ad invidiam pariter & infamiam, quam movet mihi apud homines ſingulos, & apud gentes totas. Deus immortalis, hanc acerbitatem cadere in Chriſtiana pectora? idque ob leves aliquos, ſcænatiles, & ut graviſſimè dicas, improvidos jocos? Nam in Weſtphalos ecce aliquid dixi. Hoc caput, hæc arx accuſationis eſt. Teſtor fidem, Monavi, animo & mente nihil nec luſiſſe quidem in ipſos, ſed in ea quæ ad ipſos. Ubi virtuti eorum aut robori aliquid à me detractum? De cultu dixi, & genere vitæ externo: quod valdè elegans apud ipſos eſſe, nec ipſi quidem dicant. Atqui nefas illa tangere. Quid Eraſmo igitur fiet, qui tam ubertim & liberè illuſit in hoſpitia omnia Germaniæ? Quid Clenardo, qui in Hiſpaniæ? Nec tamen uſque adhuc vidimus, qui dicam iis ſcripſit. Ferri ſolent & poſſent hæc talia, amœnitates, aut, ſi vis, laſciviæ ingeniorum: nec oderunt hos ſales, qui ſalem ipſi habent. Ii ſciunt, dicta à maledictis, & hæc à maleficiis differre. At iſte capitis etiam me anquirit, & (verba ejus ſunt) *crucem mereri* hæc, *crucem*. Credo ſanè, ſed eam, in quâ Cupido apud Poëtam adfixus, jocularem. Sed extra jocum, ſi quid in Epiſtolis illis nimium

mium aut aſperum eſt, quæſo, è noſtrâ mente molliatur: quam palàm teſtor nunquam fuiſſe ad lædendum. Verba quædam ſi ire videntur longius, revocanda ſunt, nec id me facere pudebit publicè, &, ut ſic dicam, in ipſis Roſtris. Utinam pectus hoc videant! niveum eſt, & fuit. Humida ſunt illa & lapſantia quædam verba, & nata non niſi in ſummo ore. Quid; quod in morbo nata? ille excuſet. Querulum hoc genus, & præſertim nos, quos atra hæc bilis vexat: quæ cum exarſit, Ευμαρέως κεν ἀπ᾽ αὔλης ϗ λύχνον ἅψαις, *ab eâ facilè vel lychnum accendere poſſis*: ut ait Poëta. Atqui Germanos etiam univerſos læſimus, quibus *paſſim* (ita inquit) *tam ſtultè, quam ferociter inſulto.* Quæ frons tam infrunita hoc dicit? Ego Germanos? parentes illos majoreſque noſtros? Nam ita ſcio & ſentio, nos Belgas pleroſque origine illinc eſſe: & quanquam ſitu lociſque Galli ſimus, tamen ſtirpe & ſanguine Saxones; & læti libenteſque audimus INFERIORES GERMANI. Ubi igitur, aut cur læſi? Dicta & ſcripta mea excutiantur, latebra nuſquam in quâ hæc calumnia deliteſcat. Quin contrà, diſerta & exſerta verba in laudem & elogia gentis, aliis invidenda. Scripſi & edidi in commentario ad Germaniam Taciti: CANDIDAM GENTEM: & CA-

CASTUM ORBEM: &, MAGNAM MEAM PATRIAM: &, faſtigium, ſi examinas, omnis laudis, PACE ET BELLO OPTIMAM GENTEM. Quæ vis magis honora, magis viva & ſpirantia verba? Tamen cumulavi, & ecce iterum ad Annalem Taciti decimumtertium, PUGNACISSIMA ET FIDELISSIMA GENS. Et in Epiſtolis: HOMINES ETIAM ILLA TELLUS (Germania) ALIT INGENIO DOCTRINAQUE PARES NOBIS, FIDE ET VIRTUTE MELIORES. Ades livor. Quis germaniſſimus Germanus potuit de matre ſuâ benignius? Nec uſquam læſa a me hæc pietas (ita loquor, & ſentio:) niſi ſi quid joculo in bibones quoſdam, &, ut hoc quoque joco, *κυλίκων ἐρέτας*, *Calicum remiges ſive trahones.* Sed ille non contentus hoc mare in me commoviſſe, Imperatorem ipſum concitat, & poſtulat me Majeſtatis. Jus, inquit, ejus minuiſti, in laureâ Poëtarum. O homo, nec per ſomnium in illo Somnio feci. Sed tu colligis, ut video, omnium ſermonum aurulas, & iis vela tua ad calumniandum imples. Fuit res in invidiâ aliquâ, fateor, recenti illo ſcripto: tracti in cauſſam per eos qui jure læſi, etiam qui non læſi. Sed ſeorſim poſtquam Epiſtolâ excuſavi & aperui (exſtat in Saturnalium noſtro-

ſtrorum fronte :) omnis iſta bilis ſoluta eſt in riſum. Quid enim aliud ſchemate illo (non ſanè ſcommate) volui, quàm quod verbum vetus : *Multos Thyrſigeros eſſe, paucos Bacchos*? Et hoc ſciunt, & dolent illi ipſi, quos merito ſuo cinxit Phœbæa illa laurus. Ad Imperatorem quidem quid iſtud pertinet, ſi ſint qui imponant & obrepant? Ego tantum abſum, ut lædere aut illudere voluerim Principum illum principem, ſacrum caput Chriſtiani orbis, ut contra ab adoleſcentiâ cultum omnem venerationemque detulerim ipſi, & ejus genti. TACITUS meus cum præfatione ad MAXIMILIANUM ivit Imperatoris huius Patrem : ELECTA ad Archiducem MATTHIAM ejus fratrem : POLITICA noſtra, ad HUNC IPSUM & Chriſtianos reges. Cur non facerem? deberi mihi hæc alia meliorum ingeniorum libamenta viſa, *domui ad ſummum faſtigium genitæ*, arci & propugnaculo unico in æternum illum hoſtem. Hæc ſunt in univerſo illo ſcripto, quæ digna rejectione aliquâ cenſui. nam reliqua ſunt convicia aut ſcommata inſulſa, illepida, nara inter haras. Peponem habet loco cordis, quem ea delectent. Atque ego, quid me opponam? Spreta illa exoleſcent : & ut in omni alio certamine, qui vincit, coronatur; ità contrà hîc eſt,

& accipit herbam, qui eam dedit. Nos ſcimus arbores quæ juxta vias ſunt, ſaxis & fuſtibus peti ſæpius: & homines linguarum his telis, qui in limite melioris famæ. Non tamen ea nocent: imò juvant, & ut frumentum triturâ folliculos exuit ac deponit: ſic nos concuſſiunculis illis paleas, ſi forte, vanitatum, quas nimis ſæpe animis adhæreſcere è tractatione illâ litterarum non eſt negandum. Oraculum eſt, *Nimiâ gloriâ luxuriare, & evaneſcere vivida ſæpe ingenia.* Interveniant igitur utiliter hæc convicia: & quod amicorum lenis ſpongia non eluit, deterat & defricet ſcaber hic lapis caſtigationum. Hæc noſtra mens eſt, nec nunc ſolum, *cùm folia in me cadunt*, ſed etiam *cùm arbores* (fiet, ut hoc ævum eſt:) nec aliud, quàm Palladium illud ſcutum pectori appreſſerim, NON MOVERI. Miſeri quid ad hoc ſcamma producimur? quid luctatiunculis illis nobis volumus? Ecce mors ſupra caput, & ſuperum illud tribunal; ubi non ſcripta noſtra examinanda ſunt, ſed facta. Sapiamus. Mihi quidem deinceps certum, Deum per majorum veſtigia conſtanter colere, ſtudia & ex iis famam non negligere, quatenus tamen ea uſui Reip. eſſe poſſint, aut juventuti. Quòd ſi interea homines me contemnant, aut incurrant, contemno: & cum Achille clamo, Φρονέω

Φρονέω δὲ τετιμῆσθαι Διὸς αἴσῃ.

Spero me honoratum fato Jovis eſſe.

Ecce habes, mi Monavi, longam, & pæne præter leges epiſtolæ, epiſtolam: ſed provexit me res ipſa, & filum iſtud reſponſionum: tum etiam hæc cauſſa, quòd tibi homini Germano, & inter eos claro, probare noſtram cauſſàm voluerim: maximè duplicem, quæ ad gentem, & quæ ad Cæſarem: amandam à me ſemper illam, & hunc colendum. Utrumque facturus ſum Monavi & tibi. Vale. Leodici, Nonis Januariis, cIↃ. IↃ. XCII.

Sequuntur excerpta ex Clenardi epiſtolis.

NICOLAUS CLENARDUS D. LATOMO SUO S. D.

MUltis paginis opus eſſet, ſi tibi ordine ſtatuam perſcribere quo pacto hæc proxima mihi ſucceſſit profectio, particulam unam modo decerpam, ut inde conjecturam facias, quàm ſim in præſentia ad quævis exercitatus ferenda incommoda. Conductis mulis clitellariis, quibus agaſones duo præerant, & coemptis caballis duobus mihi ac miniſtro: 30 die Julii cum jam utcunque deferbuiſſet æſtus, cœpi iter facere Bracaram verſus. Aderant comites mihi tres ſervi Æthiopes, Dento, Nigrinus & Carbo. Pompam ſi vidiſſes & arcas grandes tenuis do-

domini omnino credidiſſet aliquem adventare Epiſcopum. Diſceſſeramus ab Ebora inclinante jam die. Tantæ molis erat Eborenſem linquere nidum. Quare factum eſt, ut ſerò & multa nocte vix tandem perveniremus ad primam ſtationem, implicati etiam erroribus, & diſpendio leucæ unius. In diverſorio vinum non erat. Aiebant in domo proxima venditari, ſed abierant omnes cubitum. Itaque ad lagenam noſtram confugimus quàm in hujuſmodi uſum adornaveramus. Equi nobis fuerunt multo magis felices, ut qui talem aquam hauſerint qualem antea nunquam, quòd ut exacte pernoſcas, ad rem enim opinor facit, calculi noſtri in memoriam revocandi ſunt. Ducatus continet centuſſes quaternos, Centuſſis regalia centena, ſint ſane decem Regalia ſtuferus Brabanticus. Cùm ergo rogaremus, quo duceremus equos aquatum, toto pago ſiccitatem eſſe narrant. Quid? nihil domi habetis aquæ? En tibi ſex hydrias plenas, inde jumentis ſubventum eſt, tanta liberalitate hoſpitis, ut in ſingula capita imputaret terna regalia, hoc eſt eorum ſymbolum qui Lovanii potitant vinum vernaculum. Mihi illic lectus fuit multo brevior, quam pro pedibus, adeo ut ſi bruma fuiſſet, genuum tenus abiiſſem in glaciem. Mancipia mea,

quæ

quæ domi aſſueviſſent ſtratis mollibus, cùm diu è miniſtro quærerent, ubinam dormirent, ſtoream quandam declinare coguntur. Hæc omnia prophetica erant auſpicia inſtitutæ peregrinationis. Subſequente nocte eum ad montem Argillæum veniſſemus, unica erat caſula, vix faci inarum capax, ſtabulum equis nullum, lectorum ne umbra quidem. Et protinus nos ad hoſpitam, eſt ne hordeum? Non eſt, inquit, ſed habeo ſiliginem. Per Hiſpaniam, mi Latome, nec fœni, nec avenæ uſus eſt, ſed palearum & hordei. Hic cuniculus nobis cœna fuit, quem interdiu malè augurantes emeramus. Equi ſub dio pernoctabant, una cum reliquis comitibus ſubſtratis humi clitellis, & hujuſmodi delitiis. Ego dominus, ut par erat, commodius tractari debebam, inter ſarcinas me ſic compoſui, ut caput & dorſum utcunque conquieſcerent, reliquum corpus propendebat una cum pedibus leniter ſubraſa terra. Vixdum hora præterierat, neque enim ſolidam noctem dormire conveniebat, cui tantus ſtrepitus curæ fuerat, cùm ſubito Muliones excito: at necdum licebat progredi, quod adhuc lateret luna, quare & ipſe ſomnolentus accubui inter Agaſonum aulæa, quorum ego vitam dum toto hoc itinere diſco, ſi è cubili metienda eſt ſan-

ſanctimonia, plus eſt ſanctitatis in his duobus meis Agaſonibus, quàm in univerſis fratribus Minoribus: quin & me nocte illa ſanctiorem fuiſſe putem, quàm decem Franciſcanos. Jam Luna emergebat, & per vaſtum deſertum, quod reſtabat, iter facere cœpimus, vix tandem meridie ipſo, ſpacio horarum decem, confeceramus leucas quatuor, cùm interim & Guillielmo meo procidiſſet equus non ſine periculo, & mihi ferme idem accidiſſet, niſi adhuc meminiſſem in hujuſmodi caſibus ad frenum concurrendum eſſe. Pranſi ſumus madidius, & langenam exhauſimus ſecuri jam de cœna proxima, quam ultra Tagum Muliones promittebant opiparam. Quid fit? ſerius advenimus quàm ut Tagum trajicere liceret. Unum ibi erat in ripa diverſorium, cujus Dominum ſi rex fuiſſem, ea nocte conjeciſſem in carcerem, aut adegiſſem in crucem, adeo nos excepit inhumaniter. Itaque prius aliquantum diſtomachatus in agaſones, qui non magis properaſſent, ingredior domum, & ſalve inquam hoſpes, dubitabat Polyphemus an reſalutare deberet. Habetis paleam? ſilebat obambulans, occupatus credo in inſtruenda nobis cæna. Habetis inquam paleam? Vix tandem reſpondit non eſſe paleam. O miſera Luſitania! beati qui

non

non viderunt & crediderunt. Interim deſidebam totus ira tumidus, quòd poſteaquàm equi noſtri bene jejunaſſent, & aliquantum abiiſſet temporis deponendis ſarcinis, domum dicebant palearum eſſe pleniſſimam, eam vix tandem poſt multos clamores protulerunt. Eadem mora fuit in hordeo. Heu gentem ultrataganam! Pergamus in fabula: Eſt quòd comedamus? Aſtabat igni ollula parva, cui inerat fruſtum Lardi. Eja præbete mihi partem. Præbuerunt haud aliter, atque carnes apud Cenuenſes: mihi obtigit puto ſemiſemuncia, nec multo plus Guilielmo meo miniſtro: habetis ne ova? Non eſt jam ovorum tempus. Quid? nullamne gallinam? Non ſunt hic nobis gallinæ. Omnia ſcrutabar, ut aliquid ſaltem obijcerem latranti ſtomacho. Heus hoſpita, poſſes ne mihi cedere partem juris in quo coctum eſt hoc lardum? Non eſt ſalubre. Da inquam quale qualeſit, ut intingam modo panem. Non valet, inquit. Et ego ad miniſtrum, quid agimus Guillielme? nihil ne reliquum eſt vini candidi? forte fortuna ſchyphulus unus remanſerat è prandio. Itaque partem panis torrebam, & vipam (ut vocant) faciebam, ſcilicet ut conſumeretur ſi quid forte ex copioſa cœna gravaſſet ſtomachum. Exhauſto ſcypho magis etiam eſuriebam. Et pro-

protinus, nihil ne præterea, inquam, domi eſt lardi? Aſſare voluiſſem ſuper prunas: non eſt ſanum nocte. difficile erat aliquid contra tam præfractam medicam obtinere. O muliones, quàm belle nos decipitis! In Taucos habituri eramus omnia, nam ſic pago nomen eſt qui cis Tagum jacet, quo trajicere non potuimus. Heus hoſpes nihil eſt hic piſcium? non eſt dies piſculentus. Quid facerem? commodum venit in mentem cœparum, quas puer aſſas aliquando comederam, & protinus: Sunt ne vobis cæpæ? quàm hic metuebam ne negaret. Videbimus inquit, aliquandiu inter ſpem metumque ſuſpenſi. hoſpitali Jove propitio nacti ſumus par unum: id dum aſſatur pulchrè mihi dentes pruriebant, quaſi in phaſiones eſſem involaturus. alteram comedit Guilielmus, alteram ego lambendis ſubinde digitis: conditæ autem erant oleo & aceto, cujus illic bona ſane fuit copia, nam quod vinum appellabant facile duorum fungebatur officio. Poſt tam lautum convivium, habes ne, inquit meus Guilielmus ad hoſpitam, lectum huic domino? Non eſt, inquit Cyclops, jam lectorum tempus. Quàm me putas conſternavit hoc reſponſum? Subibant animum noctes duæ, quibus multis Franciſcanis incommodius cubueram. Poſt multas preces extorſimus lectum,
vi-

viginti Regalibus quem aliis in locis præbebant nummis quinque aut decem.

Auriferum Tagum dixerunt Poëtæ, non ita me Deus adjuvet à ferendo, ſed auferendo auro. Cùm tam maligne fuiſſemus excepti, plurimum tamen ſolvimus, ut nummulos aliquot omittam, quos perperam ſupputando lucrabatur planè Mercurialiter. Quid tibi videtur, mi Latome? An non verum erat vaticinium, cùm nudis dormirem pedibus? Tranſmiſſo jam Tago omnia miteſcere viſa ſunt, venimus Conimbriam de qua egi apud Reſcium. Bracaram ingreſſi ſumus 12. Auguſti locum mihi gratiſſimum. Cras ſi Deus permiſerit, proficiſcor ad divum Jacobum, hinc abeſt circiter leucas 30. etiam inde ſalutandus es, ut omnis exilii mei habeas teſtimonia. Interim Deum orabis, ut me, quemadmodum ſtatui, æſtate proxima vobis incolumen reſtituat. Saluto magiſtros noſtros, & me illorum commendo precibus. Vale, mi præceptor, vale chariſſime Latome, cum ſorore, & Latomo juniore, & univerſa familia. Braccaræ. 21. Auguſti. Anno 1537.

IDEM *alià Epiſtolà.*

QUòd ſi me ad ingenium terræ vernaculum accommodarem, ante omnia mulam alerem, & miniſtros quatuor. Qui poſſes? Jejunarem domi, foris ſplendidè triumpharem, & amarum illud ſumerem pharmacum, ut plus deberem quàm queam ſolvere. Nam ita demum perfectus abſolvitur aulicus. Venit hic in mentem cujuſdam, unde conjecturam facies de cæteris, is quem tibi depingere volo, ſimultates exercebat cum homine (credo) Gallo, qui huc migraverat, tempore Regis Emanuelis, aſcitus in familiam Leonoræ, reginæ. Luſitanus faſtu externo vincebat, Gallus cænabat lautius, & (ut fit) non ignarus iſtorum morum, curioſitate quadam, & arte nactus eſt libellum in quo alterius referebantur ſumptus diurni. Incidit in locum ſatis ridiculum, & planè Luſitanicum. Cùm enim ſic quotidie ſcriptum eſſet, In aquam quatuor ſectilia, in panem duo regalia, in raphanum ſeſqui regale, & ita tota hebdomada tam magnificis impenſis decurreret, ratus aliquanto lautiorem futurum diem dominicum, ſic ſcriptum repperit: hodie nihil, quia in foro non erant Raphani. Ejuſmodi

modi, chariſſime Latome, faſtuoſos Raphanophagos multos hic reperias, & tamen plures ſecum foris trahunt famulos, quàm domi conſumant regalia. Imo credo hic eſſe, quorum cenſus non eſt major meo, at tamen octo utuntur aſſeclis, quos utcunque ſi non grandi cibo, fame tamen ſuſtentant, & aliis fovent rationibus, quas ego ſtupidus nunquàm diſcere potui: nec magni negotii hic eſt, inutilem turbam conquirere ſervorum, quòd omnia potius ferant, quàm artem diſcant Mechanicam. Et quid quæſo tanto opus eſt numero? Et ſi ocium agant omnes, nemo tamen caret officio. Duo præcedunt, tertius geſtat galerum, quartus pallium ſi fortè pluat, quintus equi capiſtrum, ſextus holoſerica ſandalia, ſeptimus ſcopulas illas quibus veſtes repurgantur à pilis, octavus pannum quempiam ad abſtergendum equi ſudorem, interim dum dominus audit ſacrum, aut confabulatur cum amico: nonus pectinem promit, ſi forte honoratior ſit ſalutandus, ne incompoſito appareat capilitio: quæ vidimus teſtamur. His moribus tu fieri putas, ut laborem ullum ingenuo patre natus ſuſcipiat? Etiam ſi dimidium proventuum meorum effundam, non nanciſcar ancillam liberam, aut miniſtrum verè miniſtrum. Quin & noſtrates quoque perpenſa

 gen-

gentis conſuetudine, protinus rediguntur in nobiles: pudori enim daretur, ſi è macello partem carnis deferrent, aut oſtenderent ſe manibus valere. Omnia huc ſpectant ut perpendas, quâm diſtent hi mores â noſtratibus, ipſis quoque Luſitanis non probabiles.

IDEM *aliâ Epiſtolâ*.

EGo omnibus modis abhorrebam ab itinere, rurſum in Lovanienſe veternum redactus, & diuturna quiete peregrinandi artem dedoctus, nihilque non cauſabar, quo liceret permanere mihi Eboræ, veritus, ut ingenue fateor, ne per viam inter proceres aulicos eſſem ridiculo: Nihil enim unquam vidiſtis ineptius peregrinante Clenardo; tanquam ad amuſſim præceptum ſervaveram mei Marci, ut toto triennio nihil didiciſſem aulæ, niſi quod noſſem ubi eſſet aula. hoc tamen effeci, ut poſtquam illi diſceſſiſſent, ſubſequerer ſinè arbitris meorum vitiorum, & impunius peccarem ſubmotis teſtibus. Tantum Joannes Parvus, tum Canonicus Eborenſis, ad ſeſqui horam comes fuit, ut ſubinde moneret quomodo tractarem frenum: nam jam in oblivionem abierat. Is pro ſua humanitate vinum ſuppeditaverat, quod tertio demum die nobis futurum eſſet uſui:

tum enim iter facturi eramus per vaſtiſſimam ſolitudinem, ubi vix media via caſula ſita erat perquàm exigua. Sed prius quam in illud diſertum ingreſſi ſumus, pridie ſera noƈte diverſorium ſubivimus, quod unum par fuiſſet expiando Eraſmo ſic infamanti Germaniam. Hordeum non erat jumentis, & vix palearum portio parvula. Foris ſub dio ſtabulabantur, nos ſarcinis utebamur pro ſellis, aut humi ſedebamus. Cœna planè fuit dubia, incertum erat an cogeremur jejunare. Vinum non deſiderabatur, & panis abunde ſuppetebat. Sed homini Brabantino congruunt & alià obſonia. Eia conferamus nos cubitum, ſiquidem cras ante diem abeundum eſt, alioqui pernoƈtabimus in Servecca, ſic vocant eam ſolitudinem: age fiat. At neque leƈtus, neque locus ullus dabatur, ubi ſomnum caperes. in anguſtiſſima domuncula, ferme jumentorum oneribus oppleta, dormiendum erat. Præter Gulielmum miniſtrum, tres ſervos adduxeram Æthiopes, Dentonem, Nigrinum, & Carbonem; nam ſic eos nominavit Reſendius. hos inter, partim ſtans, partim ſedens, partim ſuſpenſus, & cubito ſarcinis innixus, ſic quieſcere conabar, ut nihil aliud expeƈtarem, quam mulionis clamorem, qui foris delitiabatur in ſtrato gramineo. Itaque paulò poſt noƈtis

 con-

conticinium, impatiens moræ, licèt ſomnolentus reliquos excitare cepi. Credo decem & amplius horas equitavimus, prius quam pranderemus, cum interim in tenebris procumberet equus miniſtri, & me in poſterum exemplo redderet freni tenaciorem. Quanquam ne ſic quidem evaſi, quin & meus primoribus pedibus in genua flexis me ferme præcipitaverit. Vix tandem tantum itineris perpeſſi, conſpecta caſula, læti feſtinabamus ad prandium, & noctis ſuperioris damna penſavimus, cohortantibus etiam mulionibus, & omnia proſpera pollicentibus, ſimulatque trajecto Tago veniſſemus Taucos, qui pagus nos manebat ad veſperam. Vinum, gallinas, perdices, capones, carnes arietinas & bubulas, fermè Siculas menſas nobis decantabant, adeo ut exhilarati, prolixius etiam hauriremus Bacchum illum Eborenſem fermè fœce tenus ſiccata lagena.

VERUM Extrema gaudii luctus occupavit, graveſque pœnas dedimus lætioris convivii. Siquidem ad ripam Tagi nox advenientes occuparit, nec licebat jam trajicere. Ibi in muliones ſtomachatus ſum, quòd diutius protractum fuerat prandium. Quid ageremus? Unum erat diverſorium, quod parum cogitaverat de noſtro adventu. Heus, in-

quam,

quam, Hoſpes, habes ne paleas? Obambulabat Polyphemus titanicum obtuens, & ne verbum quidem reſpondens. Rurſum ego: Domine, inquam, ſunt ne paleæ noſtris jumentis? Vix tandem & ægre, neſcio, inquit. Sic & cæteri circum curſitabant, partim exonerandis jumentis, partim quærendis paleis: plus enim equis timebamus quam nobis. Jam præterierat ſemihora, cum nunciat mulio domum plenam eſſe palearum. Utinam, inquam, eſſem Rex Luſitaniæ, hunc hoſpitem in crucem adigerem: & ſimul circumſpiciebam, ſi quid in culina ſitum eſſet ad focum. Quid cœnabimus, hoſpita? nihil, inquit, habemus. nihil prorſus? nihil. Occidatur gallina: non alo gallinas ut vobis occidantur. ſunt ne ova? quæram. At nihil inventum eſt. Nihil ne capitis piſcium, accolæ fluminis? Quis, inquit, comederet piſces die carnium? ô quantum mihi acuebatur bilis. Profecto ſi præſens fuiſſet Rex, ipſe tortoris munere fuiſſem functus, & fortaſſis imitatus Anthropophagos. Gulielme ſternatur menſa. Appoſitum eſt ſalinum, & unus atque alter panis, cum interim intentiſſimos haberem oculos in ollulam, quæ adſtabat igni, Et quid, inquam, illic coquitur. Eſt, inquit Hoſpita, laridum. Cedo mihi quippiam juris, ut ſcilicet intinctum
 pa-

panem cœnarem. Non. famuli opus habent. At partem laridi ſummis precibus obtinuimus, credo unciam unam, adeo ut me recuſum ſuſpicarer & factum Italum, ubi locis quibuſdam carnes veneunt unciatim, irritatus ſtomachus, & velut ſemuncia leviter perſtrictus, appetebat laridum: & nihil ne præterea, inquam, domi eſt laridi? Eſt. conjiciatur in ollam, aut ſuper prunas aſſetur. Carnes porcinæ, inquit hoſpita, ſub noctem lædunt ſtomachum. O Veneficam cum tua iſthac medicina. Pruriebant dentes Gulielmo Hollando, Clenardo Brabantino, & ad muliones converſus, ubi, inquam, ſunt perdices, quas ſomniavimus in prandio? Illi vero cepas rodebant crudas, & nihil indignabantur: quin & conſilium dabant, ut aliquot aſſas ipſe comederem. Hæc enim ſacra videbatur anchora. Earum condimentum eſt oleum cum aceto. oleum maligne præbitum fuit: acetum vero non erat in acerbiſſima domo, niſi quod ejuſmodi nobis promebant vinum, ut facilè nomen tueretur aceti: hoc ergo oleato condivimus cepas, quas tam repperi ſapidas, ut deinceps contra omnes caſus adverſos, & malam fortunam, hoc unum circumferrem in ſarcinis remedium: atque utinam aſſatæ fuiſſent complures, tam eram ea nocte famelicus, credo

prop-

propter iram immodicam bene digeſto prandio. Commodum in mentem venit, ut panis laminas toſtas madefacerem vino, rogabamque nunquid reliquum eſſet vini Eborenſis. non, inquit Gulielmus, nam pluſculum lætati fuimus in prandio. At vide, inquam, ut ſcilicet vel reliquias odoriferi Bacchi dilutas aqua inſpergerem pani. invenimus ſemiſcyphum, & his bellariis cohoneſtavimus opiparam cœnam, magno nimirum malo, quod poſt illud obſonium magis etiam cœpit latrare ſtomachus. Sed quia jam omnia fueramus periclitati, & nihil eduliorum reſtabat, ſaltem aliquid ſolatii nox oſtendebat, quod in molli ſtrato quieſcerem. Gulielme, inquam, paretur lectus, & abeamus dormitum. Non, inquit hoſpes, opus eſt lecto menſibus his æſtivis. At mihi, inquam, opus eſt, non aſſueto cubitare vel humi, vel ſuper nudas tabulas. Non, inquit hoſpita, lectum habemus. O Luſitani, inquam; apud me, cur ſinitis iſta falſa manere vocabula? Vocatur diverſorium, ubi nec comedendi, nec dormiendi datur facultas. poſt diſceptationem longam, revoluti ad preces blandiores ſummis conatibus vix impetravimus ſpeciem quandam lecti.

Postridie ſubducta ratione didici, cur Tagum ſcriptores appellarent auriferum.

tan-

tanti conſtitit umbra cœnæ cum lecto, quanti magnificum apud Brabantinos epulum: Quare ſi quis auri venas, aut arenam auream hactenus in flumine non repererit, mihi credat dictum eſſe auriferum, quòd aurum abſtulerit è noſtris loculis, nam & hoc poëticum eſt ſimplex uſurpari pro compoſito, ut apud Juvenalem: ponamus nimios gemitus, hoc eſt, deponamus.

EXCERPTUM

Ex Huberti Thomæ Leodii de vitâ Frederici II. Comitis Palatini, Ducis Bavariæ s. r. Imperii Electoris Annal. lib. vi.

Nos iter noſtrum continuavimus, & ignobilia aliquot opida prætereuntes *Bajonam* pervenimus, ubi aliquot dies morati ſumus dum inſtrumenta coquinaria, menſas, ſcabella, ollas, cacabos, verua, fritilla, & in ſumma quicquid ad rem coquinariam pertinebat, comparamus. Etſi enim viginti duntaxat perſonæ eſſemus, adeo tamen inhoſpitalis eſt Hiſpania, ut niſi hæc omnia tecum feras, lactucis ſolis, quæ non ubique reperiuntur, veſcendum ſit, dum in hoſpitium divertis, quod unum quælibet ci-

vitas ſaltem habere cogitur. invenis arietis cornu parieti annexum ad quod jumentum tuum religas, deinde tibi dicitur, ſi quidquam aliud petas, *Vade ad forum.* Quid ſi roges ut vel famula vel famulus tibi commodetur, ut pro te eat, te remuneraturum, mox audies, *Vade tu ipſe, opus habeo famulitio meo.* Neque eſt quod avenam, paleas, aut fœnum petas, illis caret Hiſpania, hordeum emere poteris & equo tuo dare, terram pro ſtrato boni conſules, tibi vero pro lecto vel culcitra mattam à vicino forſan precio impetrabis: tibi coquus, tibi famulus eſto in hoſpitio, vix acetum & oleum impetrabis. Hæc eſt forma Hiſpanici diverſorii.

Idem eodem Libro.

PRæterito deinde uno atque altero pago, admoniti ſumus ut de commeatu & pabulo nobis proſpiceremus, quia longum iter nobis erat emetiendum, in quo neque pagi, neque villæ reperirentur, niſi à regibus conſtructæ domus, ut ſi quando pluat, eſſet quo peregrinantes pernoctarent, *Ventas* appellant Hiſpani, in quibus reperitur aliquando hoſpes, aliquando nemo. Præmiſſus itaque à principe, per magnas ſolitudines pervenio

venio ad Ventam quæ *Euoella* appellatur, & ingreſſus hominem invenio, qui ſatis loci pro equis noſtris & ſufficiens pabulum ſe habere dicit, præterea boni & frigidiſſimi vini quantum cuperemus, adhæc de ferina carne ſalita & fumata, jamque cocta impertiturum pollicetur: rogo ut mox aliquantulum adferat: attulit, & ad comedendum proponit, deinde abiit: Comedi, ſi unquam alias, ſuaviter: poſtea rediit meus hoſpes adferens *jaram*, id eſt, ollam fictilem plenam vini rubei non admodum tincti, & glacie frigidioris, quo affatim bibi: deinde à præcurſoribus certior factus Principem adventare, curro illi obviam, & de ferina vinoque frigido renuncio: ille feſſus, famelicus & ſitibundus jubet adferri, comedit & bibit jucundiſſime, neque ferinam ſatis laudare poterat, & omnis ejus familia. Appropinquante verò tempore cænæ, renuntiant famuli, qui ad fonticulum ierant, ut vinum refrigidarent, lacunam parvam eſſe, plenam colubris, qui vinum ſuo naturali rigore frigidum redderent. Hoc audiens Princeps maluit calidum bibere, juſſitque de ferinâ carne ut emerem quantum mula ferra poſſet. à media nocte ſurgit & abiit cum ſuis: ego rationes cum hoſpite meo: ille, tantum, inquit, pro carne aſinina. Quid, inquam, appellas carnem aſi-
ninam?

ninam? Ferinam illam, inquit, quam heri comediſtis & vobiſcum fertis. Quod te dii, inquam, perdant, dediſti nobis de aſino comedendum? Et quis, inquit, nobis in deſertis his locis ferinam daret? ſimul hæc dicens aperit parvum conclave, ubi perna recenter occiſi aſini pendebat, & inquit, hæc eſt noſtra venatio, exagitamus canibus aſinos, non ſecus quam feras alibi, & nobis bona ferina videtur. Exhorrui pene totus & perſoluto vino & aſino abeo, & adſequor in ſummo monte principem in alia *Venta*, quæ dicitur *de los palatios*, ubi de ſuâ ferina rurſum, ut biberet, volebat commedere: qui intelligens qualis eſſet, mox ſurrexit & abjit in proximam villam *Liſches*, ubi pernoctavimus, & quicquid ſupererat ferinæ abjicere juſſit, neque fuit qui in poſterum guſtare vellet. Abundant tamen dicti montes feris, & liberum eſt per totam Hiſpaniam unicuique venari, habent autem ruſtici tam præſens venenum quo illinant tela, ut minimum attracto ſanguine feræ vel alterius animatis, ilico concidat & moriatur; quod ipſum Imperator apud nos non ſemel comprobavit. &c.

PLI-

PLINIUS LIBRO XVI. CAP. I. Natural. Hiſt.

SUnt vero in Septentrione viſæ nobis Cauchorum gentes (ita antiquitus dicti hi populi tractuſque, de quo variis epiſtolis Lipſius. Plinius maritima potiſſimum hîc reſpicit) *qui majores minoreſque appellantur. Vaſto ibi meatu bis dierum noctium ſingularum intervallis effuſus in immenſum agitur oceanus, æternam operiens rerum naturæ controverſiam, dubiumque terræ ſit, an pars maris. Illic miſera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia ſtructa manibus, ad experimenta altiſſimi æſtus, caſis ita impoſitis, navigantibus ſimiles, quum integant aquæ circumdata, naufragis vero, quum receſſerint, fugienteſque cum mari piſces circa tuguria venantur. Non pecudem his habere, non lacte ali, ut finitimis, ne cum feris quidem dimicare contingit, omni procul abacto frutice. Ulva & paluſtri junco funes nectunt, ad prætexenda piſcibus retia, captumque manibus lutum ventis magis quem ſole ſiccantes, terrâ cibos, & frigentia Septentrione viſcera ſua urunt. Potus iis non niſi ex imbre ſervato ſcrobibus, in veſtibulo domus. Et hæc gentes ſi vincantur hodie à populo Romano, ſervire ſe dicunt. ita eſt profecto, multis fortuna parcit in pœnam.*

Ex

Ex Erasmi Diversoriis.

APud Gallos, peracto convivio, lepidis fabulis alunt hominem, nequid obrepat tædii. Mihi videbar domi eſſe, non peregre. BE. Quid in cubiculis? GV. Illic nuſquam non aderant aliquot puellæ, ridentes, laſcivientes, luſitantes, ultro rogabant, ſi quid haberemus veſtium ſordidarum: eas lavabant, ac lotas reddebant: Quid multis? Nihil illic vidimus præter puellas ac mulieres, niſi in ſtabulo: quanquam & huc frequenter irrumpebant puellæ. Abeuntes compleċtuntur, tantoque affectu dimittunt, ac ſi fratres eſſent omnes, aut propinquæ cognationis. BE. Fortaſſis iſti mores decent Gallos, mihi magis arrident Germaniæ mores, utpote maſculi. GV. Mihi nunquam contigit videre Germaniam, quare te quæſo, ne gravere commemorare, quibus modis accipiunt hoſpitem. BE. An ubique ſit eadem tractandi ratio, neſcio: quod ego vidi, narrabo. Advenientem nemo ſalutat, ne videantur ambire hoſpitem. Id enim ſordidum & abjectum exiſtimant, & indignum Germanica ſeveritate. Ubi diu inclamaveris, tandem aliquis per feneſtellam æſtuarii (nam in his degunt ferè uſque ad ſolſtitium æſtivum) profert ca-

put, non aliter quàm è teſta proſpicit teſtudo. Is rogandus eſt, an liceat illic diverſari. Si non renuit, intelligis dari locum. Rogantibus ubi ſit ſtabulum, mota manu commonſtrat. Illic licet tibi tuum equum tractare tuo more. Nullus enim famulus manum admovet. Si celebrius eſt diverſorium, ibi famulus commonſtrat ſtabulum, atque etiam locum equo minime commodum. Nam commodiora ſervant venturis, præſertim nobilibus. Si quid cauſeris, ſtatim audis: ſi non placet, quære aliud diverſorium. Fœnum in urbibus ægre & perparce præbent; nec multo minoris vendunt quàm ipſam avenam. Ubi conſultum eſt equo, totus commigras in hypocauſtum, cum ocreis, ſarcinis, luto, id eſt unum omnibus commune. GV. Apud Gallos deſignant cubicula, ubi ſeſe exuant, extergant, calfaciant, aut quieſcant etiam, ſi libeat. BE. Hic nihil tale, In hypocauſto exuis ocreas, induis calceos, mutas, ſi voles, induſium, veſtes pluvia madidas ſuſpendis juxta hypocauſtum, ipſe te admoves ut ſicceris. Eſt & aqua parata, ſi libeat lavare manus, ſed ita munda plerunque, ut tibi poſt alia quærenda ſit aqua, qua lotionem eam abluas. GV. Laudo viros nullis deliciis effœminatos. BE. Quod ſi tu appuleris ad horam à meridie quartam,

non

non cœnabis tamen ante nonam, nonnunquam & decimam. GV. Quam ob rem? BE. Nihil apparant, niſi videant omnes, ut eadem opera miniſtretur omnibus. GV. Quærunt compendium. BE. Tenes. Itaque frequenter in idem hypocauſtum conveniunt octoginta aut nonaginta, pedites, equites, negociatores, nautæ, aurigæ, agricolæ, pueri, fœminæ, ſani, ægroti. GV. Iſthic vere cœnobium eſt. BE. Alius ibi pectit caput, alius abſtergit ſudorem, alius repurgat perones aut ocreas, alius eructat allium. Quid multis? Ibi linguarum ac perſonarum non minor eſt confuſio, quam olim in turri Babel. Quod ſi quem conſpexerint peregrinæ gentis, qui cultu dignitatis nonnihil præ ſe ferat, in hunc intenti ſunt omnes defixis oculis, contemplantes quaſi novum aliquod animantis genus adductum ſit ex Africa, adeo ut poſteaquam accubuerint, reflexo in tergum vultu, continenter aſpiciant, nec dimoveant oculos cibi immemores. GV. Romæ, Lutetiæ, ac Venetiis nemo quicquam miratur. BE. Nefas eſt interim tibi quicquam petere. Ubi jam multa eſt veſpera nec ſperantur plures adventuri, prodit famulus ſenex, barba cana, tonſo capite, vultu torvo, ſordido veſtitu. GV. Tales oportebat Cardinalibus Romanis eſſe a poculis. BE. Is cir-

cumactis oculis tacitus dinumerat, quot ſint in hypocauſto: quo plures adeſſe videt, hoc vehementius accenditur hypocauſtum, etiam ſi alioqui Sol æſtu ſit moleſtus. Hæc apud illos præcipua pars eſt bonæ tractationis, ſi ſudore diffluant omnes. Si quis non aſſuetus vapori, aperiat rimam feneſtræ ne præfocetur protinus audit: claude. Si reſpondeas, non fero: audis, quære igitur aliud diverſorium. GV. Atqui mihi videtur nihil eſſe periculoſius quam tam multos haurire eundem vaporem, maxime reſoluto corpore, atque hic capere cibum, & horas complures commorari. Jam enim omitto ructus alliatos, & ventris flatum, halitus putres: multi ſunt, qui morbis occultis laborant, nec ullus morbus non habet ſuum contagium. Certe plerique ſcabiem habent Hiſpanicam, ſive, ut quidam vocant Gallicam, cum ſit omnium nationum communis. ab his, opinor, non multo minus eſſe periculi quam a leproſis. Jam tu divina, quantum diſcriminis ſit in peſtilentia. BE. Sunt viri fortes; iſta rident ac negligunt. GV. Sed interim multorum periculo fortes ſunt. BE. Quid facias? Sic aſſueverunt: & conſtantis eſt animi non diſcedere ab inſtituto. GV. Atqui ante annos viginti quinque nihil receptius erat apud Braban-

bantos, quam Thermæ publicæ: eæ nunc frigent ubique. Scabies enim nova nos docuit abſtinere. BE. Sed audi cætera. Poſt redit ille barbatus Ganimedes, ac linteis inſternit menſas, quot putat eſſe ſatis illi numero. Sed ô deum immortalem, quam non Mileſiis! cannabea diceres ex antennis detracta. Deſtinavit enim unicuique menſæ convivas, ut minimum octo. Jam quibus eſt notus mos patrius, accumbunt, ubi cuique libitum fuerit. Nullum enim diſcrimen inter pauperem & divitem, inter herum ac famulum. GV. Hæc eſt illa vetus æqualitas, quam nunc è vita ſubmovit tyrannis. ſic opinor vixiſſe Chriſtum cum ſuis Diſcipulis. BE. Poſtquam accubuerunt omnes, rurſus prodit torvus ille Ganimedes, ac denuo dinumerat ſua ſodalitia: mox reverſus apponit ſingulis pinacium ligneum, & cochleare ex eodem argento factum, deinde cyathum vitreum: aliquanto poſt, panem: eum ſibi quiſque per otium repurgat, dum coquuntur pultes. Ita nonnunquam ſedetur ferme horæ ſpatio. GV. Nullus hoſpitum interim efflagitat cibum? BE. Nullus, cui notum ſit regionis ingenium. Tandem apponitur vinum, Deus bone, quam non fumoſum! non aliud oportebat bibere Sophiſtas; tanta eſt ſubtilitas & acrimonia. Quod ſi quis hoſpes, etiam obla-

ta privatim pecunia, roget ut aliunde paretur aliud vini genus, primum diſſimulant, ſed eo vultu, quaſi interfecturi: Si urgeas, reſpondent: Heic diverſati ſunt tot Comites & Marchiones, neque quiſquam queſtus eſt de vino meo: ſi non placet, quære tibi aliud diverſorium. Solos enim nobiles ſuæ gentis habent pro hominibus, & horum inſignia nuſquam non oſtentant. Jam igitur habent oſſam, quam objiciunt latranti ſtomacho: mox magnâ pompâ veniunt diſci. Primus ferme habet offas panis madefactas jure carnium, aut, ſi dies eſt piſculentus, jure leguminum. Deinde aliud jus: poſt aliquid carnium recoctarum, aut ſalſamentorum recalfactorum. rurſus pultis aliquid, mox aliquid ſolidioris cibi, donec probe domito ſtomacho apponant carnes aſſas aut piſces elixos, quos non poſſis omnino contemnere: ſed heic parci ſunt, & ſubito tollunt. Hoc pacto totum convivium temperant, quemadmodum ſolent actores fabularum, qui ſcenis admiſcent choros; ita iſti alternis miſcent offas ac pultes. Curant autem ut extremus actus ſit optimus. GV. Et hoc eſt boni poëtæ. BE. Porro piaculum ſit, ſi quis interim dicat, tolle hunc diſcum: nemo veſcitur. Deſidendum eſt uſque ad præſcriptum ſpacium, quod illic clepſydris, ut opinor, metiuntur.
Tan-

Tandem prodit ille barbatus, aut pandocheus ipſe, veſtitu minimum a famulis differens; rogat, ecquid animi nobis ſit. Mox adfertur vinum aliquod generoſius. Amant autem eos qui bibunt largius, cum nihilo plus ſolvat ille, qui plurimum hauſerit vini, quam qui minimum. GV. Mirum gentis ingenium. BE. Cum nonnunquam ſint qui duplo plus abſumant in vino quam ſolvant pro convivio. Sed antequam finiam hoc convivium, dictu mirum, quis ſit ibi ſtrepitus ac vocum tumultus, poſtquam omnes cæperunt incaleſcere potu. Quid multis? Surda omnia. admiſcent ſe frequenter ficti moriones, quo genere hominum cum nullum ſit magis deteſtandum, tamen vix credas, quantopere delectentur Germani: illi cantu, garritu; clamore, ſaltatione, pulſu faciunt, ut hypocauſtum videatur corruiturum, neque quiſquam alterum audiat loquentem. At interea videntur ſibi ſuaviter vivere: atque illic deſidendum eſt volenti nolenti uſque ad multam noctem. GV. Nunc tandem abſolve convivium. Nam me quoque tædet tam prolixi. BE. Faciam. Tandem ſublato caſeo, qui vix illis placet, niſi putris ac vermibus ſcatens, prodit ille barbatus, adferens ſecum pinacium eſcarium, in quo creta pinxit aliquot circulos ac ſemicir-

culos: id deponit in menſa, tacitus interim ac triſtis; Charontem quempiam diceres. Qui agnoſcunt picturam, deponunt pecuniam. Deinde alius atque alius, donec expleatur pinacium. Deinde notatis qui depoſuerunt, ſupputat tacitus: ſi nihil deſit, annuit capite. GV. Quid ſi quid ſuperſit? BE. Fortaſſe redderet, & faciunt hoc nonnunquam. GV. Nemo reclamat iniquæ rationi? BE. Nemo qui ſapit. Nam protinus audiret, quid tu es hominis? Nihilo plus ſolves quam alii. GV. Liberum hominum genus narras. BE. Quod ſi quis ex itinere laſſus, cupiat mox a cœnâ petere lectum, jubetur expectare, donec cæteri quoque eant cubitum. GV. Videor mihi videre civitatem Platonicam. BE. Tum ſuus cuique nidus oſtenditur, & vere nihil aliud quam cubiculum: tantum enim ibi lecti ſunt, & præterea nihil quo utaris, aut quod fureris. GV. Illic munditie eſt. BE. Eadem quæ in convivio: lintea forte lota ante menſes ſex. GV. Quid interim fit de equis? BE. Ad eandem diſciplinam tractantur, ad quam homines. GV Sed eſt eadem ubique tractatio? BE. Alicubi civilior eſt, alicubi durior quam narravi: verum in genere talis eſt. GV. Quid ſi ego tibi nunc narrem, quibus modis hoſpites tractentur in ea parte Italiæ, quam Longobardiam

vo-

vocant, rurſus in Hiſpania, deinde in Anglia, & in Waliâ? nam Angli partim Gallicos, partim Germanicos mores obtinent, ut ex his duabus gentibus mixti. Wali ſe prædicant ἀυτόχθονας Anglos. BE. Quæſo te, ut narres. Nam mihi nunquam contigit eas adire. GV. In præſentia non eſt otium. Nam nauta juſſit, adeſſem ad horam tertiam, niſi vellem relinqui: & habet ſarcinulam: alias dabitur oportunitas ad ſatietatem uſque garriendi.

Z 3.3.348

£

42
3.3.348
00564-1589
Digitized by Google

Digitized by Google

43

3.3.348

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google